

scopo t(ali) commiserimus protegenda, fid(elitati) vestre firmiter iniungimus et mandamus precise volentes, quatinus eidem episcopo, quandocunque pro defensione dictorum mon(asteriorum) rerum et personarum omnium ipse vos duxerit requirendos, tamquam persone nostre proprie assistatis fideliter consilio, auxilio ac opere manuali. Ita quod fratres in eisdem mon(asteriis) Altissimo militantes votiva tranquillitate gaudeant et ab adversariorum suorum insultibus liberati in assidua Christi laude respirent.

363.

Quod dilectum socium nostrum t(alem), dum infirmitate gravissima premeretur, nullis ipsius t(alis) aut alicuius nostrum precedentibus meritis, tam dulcibus^a benevolencie vestre beneficiis reficere studuistis, non ad eas quas debemus inmo quas valemus graciaram actiones inclinare nullatenus desinemus, voto unanimi disponentes vice reciproca semper hiis intendere cum effectum, que vestris blandiuntur affectibus et profectibus noverimus profutura. Quicquid enim eidem t(ali) per vestre probitatis excellenciam est impensum, certe non minus, quam si nobis omnibus et singulis ex nobis idem exhibitum fuerit, deputamus. Unde quesumus, ut, si quid est, in quo vestris obsequi desiderii valeamus, id a nobis cum omnimoda obtinendi fiducia fiducialiter requiratis.

366.

Tot et tantis devocionis et fidei sincere t(alis) et t(alis) fideles nostri dilecti nos sacrumque Romanum imperium prevenerunt insigniis, quod re vera, quicquid gracie, quicquid honoris vel promocionis alicui eorum impenditur vel prebetur, per hoc celsitudo regia digne se senciatur honoratam. De vestra igitur paternitate confidenter confisi, predictum t(alem), quem multe^b utique idoneitatis commendant merita, vobis cum fiducialitate qualibet duximus committendum, affectuosissime vos rogantes, quatinus ipsum in suis negociis et alias, ubi eum noveritis promovendum, pro nostra reverencia, prout licet, dignemini favorabiliter promovere.

367. Conductus.

Volentes t(alem) capellanum nostrum di(lectum), quem nobis et imperio mire sue probitatis recommendat prestan-

a) 'v're' setzt zu T.

b) Corr. aus 'multū' am Rand T.